

cunia milites plus mille , quos ex Umbria & Piceno & 1496
Corsica prædæ atque stipendii spes evocaverat , ad eos
qui Genua venerant milites adjunguntur : itaque spei bo-
næ plena civitas , suis sociorumque copiis ad Vicum , qui
Pisanus appellatur , eratque in ipsius potestate , hostium
equitatum cæde facta in fugam vertit captis compluri-
bus . Milites , qui tunc ab equitibus tria millia passus
aberant , cum suis præsto esse non possent , quod inter
se , equitesque interpositum hostem videbant , ejus ad-
ventu non expectato , raptim temereque , quo cuique
visum est , fuga comparata sibimet consulerunt . Pau-
cis autem post diebus eodem ex municipio emissos pabu-
latores , hostium est manus parva ex insidiis consecuta :
ad quos cum ii qui erant in municipio , equites cata-
phracti sexaginta , leviter armati centum , milites mi-
nus trecenti , auxilio accurrissent , reliqui se hostes osten-
derunt , impetumque in eos fecerunt , equites utriusque
armaturæ quingenti quinquaginta , milites ad duo mil-
lia : illi se paulatim referentes , ad ejus loci pontem
constiterunt , fortiterque pugnantes , cum aliquot ex suis
amississent , aliquot etiam capti essent , se tamen loco
non movebant , vulneraque & cædes inferebant . quo in
certamine Franciscus Siccus hostium præfectus accepto
vulnere prælio excessit , pauloque post est mortuus . eo
cedente finis est pugnæ factus . atque illa quidem in pu-
gna Veneti cum ad Lucium Malvetium Bononiensem Lu-
dovici legatum , qui non longe aberat , misissent , uti
sibi auxilio confessim veniret , prandere se prius velle
respondit . Is , quod ex ejusmodi ludibrio responsi , nec
allato celeriter auxilio , omnium se vocibus culpari sen-
tiebat , honoris sui causa Pontem facci castellum Floren-
tinorum noctu adortus , scalisque ad murum positis ce-
pit , cum tamen eo in castello esset Antonii Martiani fi-
lius adolescens cum equitibus cataphractis sexaginta , quo-
rum pars in Lucii potestatem venit . atque illud quidem
castellum Florentini decimo post die , quam est captum ,
iisdem prope artibus recuperaverunt , evestigioque dirue-
runt .